

DOCUMENT (F).

LETTRE DE BONIFACE A CHARLES II POUR LUI
REPROCHER SON IMPRUDENCE.

Carolo Regi Siciliae illustri.

Actus tuos praeteritos recensentes, et recolentes tractatus, quos in tuis agendis interdum hactenus tenuisti, de iis, quos tenes, vel tenebis in antea, merito formidamus. Nec sine ratione timemus: non enim excidit a nostra memoria qualiter, dum essemus in minori officio constituti nos et venerabilis frater noster Gerardus episcopus Sabinensis in adiutorium tuum missi, quando tempore felicitis recordationis Nicolai Papae IV. praedecessoris nostri obsidebatur Cajeta, tibi que vicinis nobis irrequisitis et insciis, tractasti cum charissimo in Christo filio nostro Jacobo, nunc Rege Aragonum, et perfecisti tractatum; contemptis in hoc non solum nobis et dicto episcopo sed et Romana Ecclesia matre tua.

Non sumus obliti quam providos, quam discretos et utiles habuisti et firmasti tractatus cum praefato Jacobo: tunc hoste praedictae Ecclesiae atque tuo, pro tua et tuorum liberatione natorum. Ex quibus, et aliis quae memoriter retinemus, experientia longa didicimus, quod te proprio in arduis innitente tibi male successit, et hoc processus habiti circa missionem dilecti filii Philippi Tarantini principis nati tui, in Siciliam nuper missi, manifeste declarant. Et utinam ex erroribus habitis in praemissis tu solus detrimenta sentires, et nos et Ecclesia supra dicta, et Christianitas non sentiremus ex talibus nocumenta. Quae prudentia, fili, fuit; quam reverentiam ad nos, et dictam ecclesiam habuisti, si, prout accepimus, nuper in quodam gallione Frederici nostri hostis ac tui nuntios recepisti, ipsosque

remiseris, quid petierint quidve responderis ad nostram notitiam non perducto?

Volentes igitur futuris ex tua praeceptione et subitatione periculis obviare, celsitudinem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica scripta tibi sub debito fidelitatis, quo nobis et Ecclesiae Romanae teneris, et excommunicationis poena, quam, si secus feceris, te incurrere volumus ipso facto, districte praecipiendo mandantes, quatenus cum Frederico praedicto, vel ejus nuntiis nullum tractatum habitum, vel habendum firmare, aut executioni mandare praesumas absque nostro speciali consensu, per nostras bullatas literas apparente. Nos enim quicquid secus feceris ex nunc omnino cassamus, et cassum et irritum decernimus et inane.

Caeterum pro certo tenere te volumus, quod si te aliter, quam hactenus feceris, nostris beneplacitis, non coaptas; et si salubria mandata nostra contemnas, quantumcumque pro tuis relevandis oneribus, et periculis evitandis innumerabiles quasi effuderimus pecuniae quantitates, exquiremus vias et modos, per quos, quamvis cum danno tuo pax nobis cum praefato hoste proveniat, ne diutius Terra Sancta in manibus hostium fidei teneatur. Dat, Later. v. id. januarii anno v.

DOCUMENT (G).

LETTRE DE BONIFACE AU CARDINAL D'ACQUASPARTA POUR
LE CHARGER DE PACIFIER FLORENCE.

Considerantes attentius, et infra claustra pectoris meditatione sollicita revolventes, quod nefanda hostis antiqui nequitia, qui semper quaerit ut noceat, semper in circuitu ambulat ut offendant, in plerisque locis Lombardiae, Tusciae, et Romandiolae provinciarum; Aquilejensis, et Gradensis patriarchatum, Ravennatis,

Mediolanensis, Januensis, et Pisani archiepiscopatum, Marchiae Tervisinae, Venetiarum, Bononiensis, et Ferrariensis civitatum, earumque dioecesium et territoriorum, locisque vicinis eisdem, discordiarum zizaniam seruit, ingessit lites, commovit scandala, odia suscitavit; grandi utique desiderio ducimur, curisque multimodis excitamur, ut malis hujusmodi, molestis quamplurimum votis nostris, efficacibus et opportunis remediis obvietur; et ecclesiasticis, religiosis, saecularibusque personis, in partibus locisque degentibus memoratis, Apostolicae sedis benigna visitatione praeventis, deformata inibi providam reformationem recipiant, prava et noxia procul penitus profligentur.

Attendentes igitur quod gratiarum dator Altissimus personam tuam scientiae magnitudine, providentiae dono, discretionis virtute, industriae munere, circumspectionis gratia, et aliarum virtutum titulis decoravit, humeros tuos fortitudinis robore muniendo, ut onera grandia facilius supportares; plenam quoque, immo plenissimam de tuis laudabilibus meritis fiduciam obtinentes, licet apud sedem Apostolicam ex tui maturitate consilii tua non modicum opportuna praesentia dignoscatur, nosque illa careamus inviti; te tamen ob honorem et exaltationem Ecclesiae, ac reformationem, et directionem necessarias, ac desideratam quietem partium praedictarum, de fratrum nostrorum consilio illuc tamquam pacis angelum duximus destinandum; fraternitati tuae in provinciis, patriarchatibus, archiepiscopatibus nec non civitatibus memoratis, earumque dioecesium, districtibus, ac territoriis, et locis, ac partibus supradictis plenae legationis officium committentes, ut evellas et destruas, dissipas et disperdas, aedifices et plantes, ac facias auctoritate nostra quaecumque ad honorem Dei, prosperum statum partium earumdem, ac reformationem pacis fidelium videris expedire, etc. Datum Anagninae x. kal. junii anno vi.

DOCUMENT (H).

LETTRE AU CLERGÉ FRANÇAIS RELATIVE A L'APPEL
DE CHARLES DE VALOIS.

. . . . Ecce quidem fratres et filii, non latet in abditis, sed per diversos orbis angulos innotescit, qualiter jam fere viginti annorum spatio quondam Petrus olim Rex Aragonum, subdolos nequitiae perpetrator; et subsequenter diversis temporibus nati ejus, sibi succedentes in vitio contra nos et eandem ecclesiam, et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliae, Regem illustrem insulam Siciliae occuparunt ac tenuerunt, et adhuc etiam pro majori parte detinent nequiter occupatam. Quarum occupationis et detentionis occasione et causa contigit olim perditio Terrae sanctae; sed nec ei potuit opportunum ministrari subsidium de partibus cismarinis. Et quamvis inopinatis auxiliis, ac insperatis operibus, illucescente illi gratia Salvatoris, sit ipsi Terrae Sanctae via recuperationis, reparationis, inhabitationis, et munitionis civitatum et locorum dudum ibidem deperditorum, aperta; tamen ob induratam antiquatae jam rebellionis nequitiam praedictorum Siculorum et Frederici nati praedicti quondam Petri olim Regis Aragonum, sub cujus devio in tenebris et umbra mortis obdormiunt, et propter alia scandala quae insurgunt, praefata mater ecclesia in adhibendis opportunis eidem terrae subsidiis impeditur. Status insuper Tusciae impeditur admodum fluctibus scandalorum: civitates, loca, et incolae ipsi matri ecclesiae subjecta rebellant, nequitiae venena fundentia et laborantia ingratitude vitio contra eam: et nisi eorum insolentiae compescantur, invalescent plurimum rebelliones ipsorum, et periculose succrescent.

Et ideo non solum de prope, sed etiam de longe sub spe di-

vinae potentiae ad obviandum tot fluctibus totque malis, et periculis resistendum, et ad rebellantium superbiam edomandam auxilium, juvamen, et fortitudinem invocare compulsi, dilectum filium nobilem virum Carolum comitem Andegavensem, clarae memoriae Philippi Regis Francorum natum virum utique nobilitatis et generis excellentia praefulgentem, potentia praeditum, exercitatum in armis, et ecclesiae praefatae devotum, per quem speramus et credimus, honores et commoda ipsius ecclesiae in hac parte posse viriliter, potenter, et feliciter promoveri, et satisfieri utiliter votis nostris; advocare providimus in opportunum auxilium et juvamen ipsius ecclesiae matris suae, ordinato jam, ut decuit, cum eodem, ut usque ad festum purificationis B. Virginis proximo futurum iter arripiat cum magna et honorabili armatorum, militum et equitum comitiva venturus continuatis dietis, et intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in ipsius Italiae provinciis sive locis, de quibus Apostolica sedes duxerit ordinandum: ut ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum adventus et mora ejus Domino auxiliante persistent et tranquillato statu Siciliae, aliisque Italiae rebellibus subjugatis, ac ad nostra, et dictae sedis mandata redactis, de opportuno ipsius Terrae Sanctae succursu possit utilius et efficacius provideri, et universalis occidentalis ecclesiae sabbatum procuretur, etc. Dat. Laterani 11. kal. decembris anno vi.

DOCUMENT (I).

LETTRE AU CARDINAL D'ACQUASPARTA POUR L'ENGAGER A MODÉRER CHARLES DE VALOIS.

Venerabili fratri Portuensi episcopo.

Cum nobiles provincia Tusciae multis foret confossa doloribus, guerrarum concitata dissidiis, civilibus bellis licentiae laxatis

habentis, ac deformata ruinis, decuit nos ad animarum, corporum, et rerum vitanda pericula in ipsa prosequi vias pacificas, et ad unitatem reducere discordantes, ne se mutuo lacerarent, impeterent, ac molestarent injuste: ut tam nobilis tantaque provincia in tabernaculis fiduciae requiesceret, et in pacis dulcedine habitaret; et per hoc in ea purgaretur haeretica pravitas, cohiberetur praedonum audacia, honoraretur sancta Romana ecclesia, et fidelium devotio nutriretur. Ad nos namque relatio fide digna perduxerat, quod nonnulli de dicta provincia cum malitiae suae consciis atque consortibus habentes de ipsiusurbatione pruritum malignitatis suae, in favorem nostrorum et Apostolicae sedis rebellium suos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam sua confirmaretur justitia, non cuiquam status suis debitus meritis servaretur. Unde cum fratribus nostris habita deliberatione matura, attendentes quod Romanum vacat imperium, cujus ad nos, praesertim hoc tempore pacifica conservatio dignoscitur pertinere; dilectum filium nobilem virum Carolum natum clarae memoriae Philippi Regis Francorum, comitem Andegavensem; de cujus strenuitate, armorum experientia, et bonitate confidimus; conservatorem pacis in ea parte ipsius Tusciae, quae praedicto Imperio subjacet, de fratrum eorumdem consilio duximus deputandum. Qui provinciam ipsam potenter et prudenter ingressus, hujusmodi commissum sibi paciariatus, seu conservandae pacis officium, divina sibi assistente virtute, coepit laudabiliter exercere: ita quod devoti et fideles ecclesiae saepedictae de ipsa provincia habere poterunt, dante Domino, bonum statum, eruntque prava in directa, et viae asperae planabuntur. Verum, ut haec salubrius et efficacius impleantur cum quiete ac pace, te de cujus legalitate, bonitate, circumspectione, et experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus destinare, in eadem provincia nostra tibi auctoritate concessa; per cujus dictus comes favorem protectus, directus consilio, et maturitate adjutus, commissum sibi offi-

cium, juxta beneplacitum divinum et nostrum, cum moderatione ac mensura tranquillius et utilius possit debitae executioni mandare.

Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus, et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus celeriter te accingens, et ad partes illas personaliter festinus accedas et ad ea, quae comiti memorato commissimus, efficaciter promovenda et laudabiliter consumanda in provincia saepedicta per te et alios, de quibus expedire videris, ipsum solerter inducas, et tam tu quam ipse vestra studia convertatis ad seminandum in ea semen charitatis, et pacis; ut sedatis guerrarum et dissensionum turbiniibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipsa tot impulsibus agitata quasi post noctis tenebras floridum diei lumen aspiciat; post glaciei frigus hyemis aurea sibi tempora et serena succedant, in quibus afflicti non solum temporalem laetitiam, sed aeternam auctore Domino consequantur, contradictores et rebelles auctoritate nostra per te, vel per alium, seu alios per spirituales poenas, appellatione postposita, compescendo, etc. Datum Laterani vi. non. decembris anno vii.

DOCUMENT (K).

LETTRE DE BONIFACE A PHILIPPE-LE-BEL, AU SUJET DE L'ARCHEVÊCHÉ DE NARBONNE ET DU COMTÉ DE MAGUELONNE.

Recordare, Rex inclyte, progenitorum tuorum actus strenuos, meritaque praeclara intueri, ac respice quod Deus regnantium honor et gloria beatum Ludovicum avum tuum Regibus dedit in speculum, et populis in exemplum, quae ipsius nepos, quasi charissimus filius imiteris; prudenter attendens, quod tantam

habebat conscientiae puritatem, quod non solum scienter, sed nec ignoranter dispendium aliis volebat inferre, causam quam ignorabat ad instar sancti Job diligentius investigans. Unde cum super comitatu Mergoglii Magalonensis diocesis nonnulla auribus instillarentur ipsius, in tantum ut ad quem pertineret comitatus hujusmodi haesitaret; nolens ex abrupto procedere, vel incerto felicitis recordationis Clementis Papae IV. praedecessoris nostri, quem super hoc putabat habere notitiam, requisivit consilium, tam humiliter quam prudenter, sicut ex tenore literarum praedecessoris ejusdem, quem praesentibus tibi mittimus interclusum, colligere poteris evidenter. Post cujus praedecessoris Clementis responsum Magalonensis ecclesia a regalium exactionibus conquievit, quae ab olim tenuit et tenet in feudum ab Apostolica sede comitatum eundem, prout constat ex vetustissimis documentis, et ex iis, quae in ejusdem sedis conservantur archivio, ac ex praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum literis, quae de dicto comitatu faciunt mentionem. Quapropter dolemus non immerito, et turbamur, si relatibus facta respondeant, quod sicut accepimus, officiales tui venerabilem fratrem nostrum Gerardum episcopum, et dilectum filium capitulum Magalonense super comitatu praedicto, et hominibus comitatus, immo nos et Apostolicam sedem gravant, impetunt, et molestant.

Cum igitur Deus per suam misericordiam, non sine multimodis nostris et sedis ejusdem praesidiis, adeo dilataverit funiculos et limites regni tui juriumque tuorum, ut nec tibi expediat ad occupanda bona aliorum et jura; praesertim nostra et praedictae sedis, ac Magalonensis ecclesiae memoratae, super comitatu praefato, qui tenetur a nobis et sede praedicta, manus occupatrices extendere; circumspectionem regiam tenore praesentium hortamur et rogamus attente, tibi que paternis affectibus salubriter suademus, ut senescallis, officialibus, et balivis tuis districte praecipias, quod de caetero a dictorum

episcopi et capituli ac vassallorum super dicto comitatu molestatione desistant: exhortationes et preces nostras hujusmodi sic efficaciter impleturus, quod a Deo premium consequaris, nobisque et sanctae Romanae Ecclesiae matri tuae, te praecipuum filium repraesentes, quicquid super hoc faciendum duxeris nobis tuis literis responsurus.

Ad haec praemissis adiicitur grandis injuria, et amara querela, qua ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Amalricus vicecomes Narbonae, antiquorum progenitorum suorum, qui ecclesiam Narbonensem et alias eidem subjectas, quantum et quamdiu potuerunt, multipliciter impugnarunt, vestigiis inhaerens pestiferis; jurisdictionem et omnia, quae dicta Narbonensis ecclesia teneat vel habeat in civitate ac burbo Narbonae et pertinentiis eorundem, et quae indubitanter tenebat, ac tenere debebat in feudum ab eadem ecclesia Narbonensi; quaeve parentes sui a centum fere annis citra continue archiepiscopis, qui pro tempore ipsi ecclesiae praefuerunt, et pater istius vicecomitis eodem praesente, sciente, et intelligente Narbonensi archiepiscopo, qui nunc praest, cum sacramento fidelitatis et homagio, praesente quoque multitudine hominum, clericorum et laicorum, nobilium et ignobilium copiosa, ante majus altare in ipsa ecclesia Narbonensi, ut moris erat praedecessorum eorundem, publice recognoverant a dictis archiepiscopo et ecclesia Narbonensi, se tenere in feudum, ut indubitatis constat Regum Franciae praedecessorum tuorum privilegiis, vicecomitum Narbonensium literis eorundem vicecomitum sigillis signatis, et aliis etiam luce clarioribus documentis, et haec ipse idem vicecomes procuratorio nomine patris sui, dum vivebat, in tua curia fuit manifeste confessus; a paucis citra temporibus maligno ductus spiritu, in magnum contemptum, praepudicium et injuriam non solum praefatae Narbonensis ecclesiae, verum etiam aliarum ecclesiarum totius provinciae Narbonensis, a te recognovit in feudum: et in damnationis suae cumulum, et

evidentius saepedictae Narbonensis ecclesiae nocumentum, non solum ea a te, ut praedicitur, recognovit; sed ut Gallicano utamur vocabulo, advocavit, immo etiam ea a dicto archiepiscopo, et ecclesia Narbonensi deavocavit expresse. Fili charissime, talia mentem nostram amaricant, et perturbant, et ut ad apponenda remedia convertamur, excitant et instigant: nec possumus, nec debemus tam grandia detrimenta ac exheredationem quandam Narbonensis ecclesiae supradictae sub dissimulatione transire: nec talia pati debuerat dignitatis Regiae rectitudo, et prudentia circumspecta. Ab olim ecclesia, Regum lactata mammillis, excrevit in potestatem, dignitatem, libertatem, celsitudinem, et gloriam seculorum: nunc, proh dolor! a regibus eorumque officialibus premitur, ancillatur, spernitur, et multipliciter expugnatur.

Haec, fili, tolerando in ecclesiis regni tui, habes merito formidare, quod ulciscetur haec Deus iudicii dominus, et Rex regum, ejusque vicarius finaliter non tacebit, ne forsitan audiat: Canis mutus latrare non valens; qui etsi patienter ad tempus expectet, ut locus misericordiae non claudatur, tandem exurget ad vindictam malefactorum. laudem vero bonorum. Utinam saperes et intelligeres, et novissima provideres, ac plene discuteres immissiones, quae quasi per malos angelos tibi fiunt et susurronibus, ac pravis consilariis facilem non praeberes auditum; et solerter cognosceres, quod quasi mali prophetae, loquentes placentia, vident tibi falsa et stulta, assumptiones falsas et ejectiones; nec attendunt, quod inter naturam et gloriam est media gratia, sine qua a prima ad tertiam non transitur. Caveas igitur diligenter, ne ad stultum finem consilia talium, qui adulatione decipiunt te, deducant.

Nos nihilominus, ne tantum dispendium memoratae Narbonensis Ecclesiae transeat impunitum, neve aliis praebeat exemplum tam nefanda similia attentandi; contra Almaricum ipsum et alios, quos negotium istud contingit, ex officio nostro et de

apostolicae plenitudine potestatis deliberavimus procedere summarie, de plano sine strepitu et figura iudicii, prout iustitia exiget, et videbimus expedire; ipsumque Almaricum mandamus sub certa forma ad nostram praesentiam evocari. Caeterum excellentiam regiam volumus non latere, quod ex quo stimulamur in tantum, nec blandimenta proficiunt, nec corriguntur errata; literas nostras, quas super talibus et similibus tibi dirigimus, jam ordinavimus registrari ad perpetuam rei memoriam. Quis autem ex eis et aliis, necnon ex illis, quae nuperime per solemnes nuntios tibi significanda decrevimus, subsequetur, effectus, novit ille, qui secretorum est cognitor, et praescius futurorum. Dat. Anagninae xv. kal. augusti anno vi.

DOCUMENT (L).

LETTRE A PHILIPPE-LE-BEL, JOINTE A LA BULLE AUSCULTA.

Carissimo in Christo filio Philippo Regi Franciae illustri.

Nuper ex rationabilibus causis moti, praesertim ad relevanda gravamina, et quasi importabilia onera ecclesiarum, praelatorum, et ecclesiasticarum personarum, regularium et saecularium, regni tui, literas infrascripti tenoris fieri fecimus, et bulla nostra bullari, quarum tenorem ad tuam providimus notitiam praesentibus deducendum. Tenor autem talis est, Bonifacius, etc. ad perpetuam rei memoriam. Salvator mundi etc. ut in proxima superiori usque in finem.
Tu igitur sicut filius praedilectus in iis, quae rationabiliter et pro utilitate publica fecimus, non turberis: sed ea aequanimiter tolere; prudenter attendens, quia ut praemittitur, terminum assignamus, quo privilegia, indulgentiae, gratiae, et concessionem praedictae, nostro conspectui praesententur, et ad nostram et dictae sedis notitiam deducantur, ut consideratis ip-

sis et visis provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda. Datum Laterani non. decembris anno vii

Bonifacius, etc. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciae illustri.

Ausculda, fili charissime, praecepta patris, et ad doctrinam magistri, qui gerit illius vices in terris, qui solus est magister et dominus, aurem tui cordis inclina; viscerosae sanctae matris ecclesiae admonitionem libenter excipe, et cura efficaciter adimplere. Ad te igitur sermo noster dirigitur, tibi paternus amor exprimitur, et dulcia matris ubera exponuntur. Campum siquidem militiae humanae mortalitatis ingressus, renatus sacri fonte baptismatis, renuntians diabolo et pompis ejus, non quasi hospes et advena, sed jam domesticus fidei et civis sanctorum effectus, ovile dominicum intravisti, colluctaturus non solum contra carnem et sanguinem, sed etiam contra aereas potestates, mundique rectores praesentium tenebrarum. Sic veri Noe es arcam ingressus, extra quam nemo salvatur, catholicam scilicet Ecclesiam, unam columbam immaculatam, unici Christi sponsam, in qua Christi vicarius Petrique successor primatum noscitur obtinere: qui sibi collatis clavibus regni coelorum, iudex a Deo vivorum, et mortuorum constitutus agnoscitur; ad quem, sedentem in iudicii solio, dissipare pertinet suo intuitu omne malum. Hujus profecto sponsae quae de coelo descendit a Deo parata sicut sponsa ornata viro suo, Romanus Pontifex caput existit: nec habet plura capita monstruose, cum sit sine macula, sine ruga, nec habens aliquod inhonestum.

Ad haec, ne Terrae sanctae negotium, quod nostris et tuis et aliorum fidelium debet charius insidere praecordiis, nos putes oblivioni dedisse memorare, fili, et discito, quod progenitores tui Christianissimi principes, quorum debes laudanda vestigia solerti studio, et claris operibus imitari, exposuerunt olim personas et bona in subsidium dictae terrae. Sed Saracenorum invalescente perfidia Christianorum ac.